
The background of the image is a marbled paper pattern, characterized by intricate, swirling veins of brown, green, and yellow against a lighter, cream-colored base. The colors are distributed in a non-uniform, organic manner, creating a textured and artistic appearance.

43



DISSERTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
S O L I D O,

EJUSQUE PARTIUM, NEC NON HEMISPÆ-
RIORUM CONCAVORUM, ET CYLINDRO-
RUM SOLIDORUM COHÆRENTIA.

Q U A M
ASSISTENTE SUMMO NUMINE,
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS à MARCK,

PHIL. ET SS. THEOL. DOCTORIS, HUJUSQUE
ET ANTIQUITATUM ECCLESIAST.
PROFESSORIS ORDINARII,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicī Consensu, & Nobilissima Fa-
cultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
ET MAGISTERII,

Summisque in PHILOSOPHIA & ARTIBUS LIBERALIBUS Honoribus,
& Privilegiis, rite, ac legitimè consequendis,

Publico ac solenni examini subjicit

JOANNES FRANSISCUS DE WITTE VAN SCHOOTEN.
Haga Batavus.

Ad diem 18 Octobris loco solito horâque.



LUGDUNI BATAVORVM.

Apud Viduam CORNELII BOUTESTEYN,
M DCC XII.

ДОКУМЕНТЫ ПО ИСТОРИИ
ГОСУДАРСТВА

СОЛДАТСКАЯ

СИСТЕМА УЧЕБНИКОВ
ПО ИСТОРИИ ГОСУДАРСТВА

ДЛЯ УЧЕБЫ В ШКОЛАХ

ДЛЯ УЧЕБЫ В ШКОЛАХ

СИСТЕМА УЧЕБНИКОВ
ПО ИСТОРИИ ГОСУДАРСТВА

*NOBILISSIMO ILLUSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO*

**D. BRUNONI
VANDER DUSSEN,**

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI.

INCLYTÆ CIVITATIS GOUDANÆ

VIRO CONSULARI,

SENATORI PRUDENTISSIMO,

ET SYNDICO FACUNDISSIMO.

ILLUSTRIUM AC PRÆPOTENTIUM

HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ

ORDINUM

NOMINE

IN CONSESSU ORDINUM GENERALIUM

FÆDERATÆ BELGICÆ

DEPUTATO.

IN

SUPREMO COLLEGIO

CUI AGGERUM,

AD MUNIENDUM AGRUM

SCHIELANDIÆ

CURA,

ASSESSORI ÆQUISSIMO.

AMPLISSIONE AGGERIBUS

VULGO

DE CRIMPENREWAARD

TUENDIS

COLLEGII PRÆFECTO PROVIDENTISSIMO.

OLIM HAGAM COMITIS
DEIN GERTRUDÆ MONTEM
AD PACIS NEGOTIA CURANDA
DELEGATO SAGACISSIMO.
JAMQUE ITERUM EORUMDEM

FOEDERATÆ BELGICÆ
ORDINUM GENERALIUM
NOMINE

AD
PACIS NEGOTIA
TRAJECTUM AD RHENUM
PLENA CUM POTESTATE
LEGATO.

VIRO DE REPUBLICA
OPTIME MERITO
INDIESQUE MERENTI
MULTIS MIHI NOMINIBUS
HONORATISSIMO, ÆSTUMATISSIMOQUE,

HANCCE INAUGURALEM DISSERTATIONEM
PHILOSOPHICAM

SUMMA CUM REVERENTIA ET OBSEQUIO.

IN GRATI ANIMI TESSERAM ET OBSER-
VANTIÆ SYMBOLUM LÆTA MANU
OFFERRE ET CONSECRARE
INVOLUIT

JOHANNES FRANCISCUS DE WITTE
VAN SCHOOTEN. AUCTOR.



DISSERTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS

DE

S O L I D O,

EJUSQUE PARTIUM, NEC NON HEMI-
SPHÆRIORUM CONCAVORUM, ET
CYLINDRORUM SOLIDORUM
COHÆRENTIA.

P R Æ F A T I O.



Uperatis Musarum Scholasticarum tæ-
diis , cum Academicis memet addice-
re institutionibus , maximè iis , quæ in
Juris notitiam me perducerent , in ani-
mum induxissem ; perpenso CICERO-
NIS hoc asserto , in Oratione pro AR-
CHIA Poeta cap. 1. Omnes artes quæ
ad humanitatem pertinent , habent quoddam commu-
ne vinculum , & quasi cognatione quadam inter se con-

A tinen-

tinentur; per Philosophiam aditum in Jurisprudentiæ interiora parare constitui. Cui simul ac me tradidisse studio, mox me adeo pellexit suavitas, atque utilitas, quam ex hoc studiorum genere in aliarum disciplinarum culturam redundare percipiebam, ut hic me prorsus abriperet vortex, & totum me huic dare non nequirem. Mox enim menti obversabatur, reliquarum ad altiora ducentium disciplinarum sacra illotis, ut loqui amant, manibus haud esse tractanda; in omnibus rationis obtinere usum; ei in nobis corrupto medelam unice Philosophiam afferre; mentis requiri præparationem, hanc subministrare Philosophiam; studendi, mentemque exercitandi opus esse methodo, hanc ex Philosophia hauriendam; cognitionem claram definitione, distinctam divisione compari; quæ autem horum sint requisita, Philosophiam unice suggerere. Specialiter, quo studiorum meorum dirigendus erat scopus, observabam profiteri Jurisperitos Philosophiam se affectare; quod argumento mihi erat, arctiori cognitionis vinculo Jurisprudentiam Philosophiæ, quam hanc aliis disciplinis connexam esse. Hanc confirmabat opinionem consideratio Philosophiæ Moralis, Ethicæ atque Politicæ, in Jure Naturæ fundatae; ut & consideratio Juris Civilis, quod Juri Naturæ, ac Gentium originem debet, cujusque finis idem qui Politices, Republicæ videlicet salus. Ubi mentis aciem in Pneumaticam conjiciebam, mox hinc innotescerat obligatio, ad obedientiam cum Deo, tum & Magistratui præstandom, considerando illius Independentiam, nostrique omnimodam subjectionem propter Dependentiam. Idem experiebar de Naturali Philosophia judicandum esse. Juri enim operam naturis, necessum est ut recte percipientia moralia, quantitates, eorum & qualitates, de quibus

P R A E F A T I O .

quibus PUFENDORFIUS in libro primo sui commentarii de jure Naturæ & Gentium. Num plane inutile juris perito existimemus Physicorum, seu Naturalium pleniorum cognitionem, unde de oppositis facilius tulerit judicium, eorumve plenius perspectam habeat essentiam? Interpretes in docendo vocibus Moralia & Physicorum suam mentem explicant, quod ipsum quem sensum habeat, is certe demum penitus dijudicare poterit, quibus primitus Philosophiae studium curæ fuit. Infinitas possem afferre facti species ubi Jētus non nisi Matheos ope litem posset dirimere: atque si ejus usum, & utilitatem inhereditatum divisionibus, in jure accrescendi, difficillimis Jurisprudentiæ materiis ostenderem non proæmium mihi exornandum foret, sed integra dissertatio componenda. Si cui videre placuerit hujusmodi exempla, consulat Orationem inauguralem Clarissimi & Celeberrimi Viri Professoris J. BERNARDI, Præceptoris mei in Mathematicis honoratissimi.

Cum autem ad Philosophiæ studii metam ferme pervernero, lauream Doctoralē, & Artium Magisterium impetraturus, ex recepto more, & legibus lemma, quod publicæ exponerem disquisitioni, eligendum mihi fuit; ast vero cum vastum illua rerum Philosophicarum corpus, Viris Doctissimis non modo sit perscrutatum, sed & plenissime explicitum, vix possibile mihi fuit, eligere materiam, quæ ab aliis non esset prorsus exhausta, & confecta; interim in hac angustia constituto, arrisit tandem examen Soliditatis, & cohærentiæ corporum, tum partium eorumdem, cum etiam evacuatorum hemisphæriorum concavorum, nec non cylindrorum solidorum. Quam protenitate ingenii materiam dum resolvo, L. B. rogo, ut si erraverim, condonet, aut quid omiserim, suppleat.

Ut ordine procedat quam suscepi materiæ pertractatio, exponam,

1. *Quid voce solidi intelligendum sit, ejusque definitionem.*
2. *Quibus modis non solida, vel non cohærentia, solida fiant, & arctam unionem acquirant.*
3. *Cohærentium hemisphæriorum concavorum phænomena.*
4. *Phænomena cylindrorum solidorum.*
5. *Soliditatis, & arctæ cohæsionis corporum essentiam ex traditis derivabo.*

Quum alia menti non videatur obversari idea Solidi, quam corporis ex pluribus particulis compositi, inter quas cohærentia intercedit, describitur Solidum a Nonnullis, *Corpus cuius partes firmiter coherent*. Verum quoniam corporis essentia, quæ in extensione consistit, partium extra partes positionem, divisibilitatem, figuram, & compositionem involvit, unumquodque corpus, in quantum alteri contradistinctum est, partium constitutum unionem, & cohærentiam requirit: negata enim cohæsione plures partes unum non possent constituere corpus; & quod constituere supponerentur, aliis non foret contradistinctum; fundatur enim ratio unitatis, & distinctionis compositi in aliquali cohærentia, qua quæ multa sunt unius naturam induunt. Hinc unumquodque corpus, qua tale, ut extensum, similiter quoque solidum est, eaque soliditas commune omnium corporum attributum est, simplicissimæ etiam materiæ proprietas, ab ea inseparabilis, in minimis, quæ concipi possunt, corpusculis, omnem fugientibus sensum, locum habens, eo usque procedens quo divisibilitas, atque extensio, proinde nullam inferens distinctionem; cujus rei ergo nexus hic partium, ac soliditas non usque adeo Physicæ considerationis est, quam specialis illa-

qua

quæ distinctionem infert, & dum in nonnullis obtinet, cæteris denegatur.

§. I I.

Corporis eam possidens soliditatem definitio hæc sit, *Solidum corpus est, quod ex pluribus sensibilibus firmo nexo coherentibus compositum est*, cuius causa facilius integrum e loco dimovetur, ac de spatio in spatium transfertur, quam aliqua ejus pars, vel plures partes ab invicem, aut a toto separantur, vel singulæ seorsim moventur.

Ad examen revocata universi hujus conditione, & instituta materiae ejusdem analysi, deveniendum tandem erit ad materiam ejus primogeneam, corpuscula incomprehensibilis parvitas homogena, pororum experientia (cum in infinitum pororum admitti nequeat progressus, neque particulæ poros occupantes poris esse instructæ, qui ab aliis itidem porosis adimplerentur, quorum pori aliae porosæ ob siderent, atque ita porro) hinc summe dura, actualem divisionem forte respuentia, indeque respectu figuræ immutabilia, atque insensibilia; qualia multa coadunata, immediatè contigua, unita, in unum majoris molis corpus coalescentia, simul corpora constituant sensibilia; adeo ut ea quæ apparent, facta sint ex iis quæ non videmus. Sensibilium ejusmodi corporum ex corpusculis sensibilibus compositorum nonnulla solidi habent naturam. Ut enim fluiditas soliditati opposita non absoluta, & singularis uniuscujusque corporis affectio est, sed plurimum simul consideratorum; ita quoque *solidum* dicitur *corpus*, non ut simplex spectatum, sed quatenus ex pluribus coalitum est. Cum enim formalis ratio soliditatis in nexo, & cohærentia consistat, (ut ex mox dicendis patebit) contradictorium foret, corpus ut unum, & simplex spectatum, esse solidum.

§. I I I.

Pluralitas ejusmodi corporum sensibilium, & qualisunque unio ad soliditatem non sufficit; cum in aqua, mercurio, acervo pulvisculorum, & arenularum, flamma, aliisque pluribus minimè solidis, contiguitas, & aliqualis unio reperiatur. Verum si

vario fuerint in motu, fluidum efficiunt; si in quiete, sed firmito nexus non conjuncta, adeo ut facilius singula seorsim, quam tota moles e loco dimoveri possit, discontinuum & non solidum constituunt; ubi vero arcta cohaerent, adeo ut non sine difficultate alia absque aliis moveri queant, solidum efformant; adeo ut formalis ratio soliditatis in firmo nexus, & arcta corpusculorum cohaerentia consistat, cuius causa difficulter alia ab aliis divelluntur, aut singula seorsim moventur; & soliditatem corporum experimur variare, diversisque admittere gradus pro ratione graduum firmitudinis, indeque aestimari. Imo una eademque corpora magis minusve solida esse, eorum partes, firmiori, aut minus, nexus cohaerere, ac plus minusve requirere virium ad earum disunionem procurandam, pro diversitate methodi, qua earundem instituitur divisio; uti & idem obtinet in diversis corporibus solidis invicem adaptatis; nec non evacuatis hemisphaerii, quemadmodum infra pluribus tradetur.

§. I V.

Quamvis autem ea communis fere Philosophorum sit sententia, cohaesionis firmitudinem soliditatis absolvere essentiam; qui tamen fiat quod arctus eorum sit nexus, potenter divisioni resistant, & difficulter adeo solida partium suarum admittant divorcium, non omnium eadem est sententia. Ut autem, quid maxime probabile, aut verissimum sit, detegatur, expedit summopere, ad examen revocare modos, quibus corpuscula dissociata, nexus mutuum habentia nullum, motus non tantum deponant suos, verum etiam invicem agglutinentur, & cohesionem arctam acquirent; nec non qua ratione diversa corpora sive solida, sive concava hemisphaeria socientur, adeo ut non nisi gravi appenso pondere ab invicem divellantur.

§. V.

Prima, ac praecipua *causa*, qua disunita conjuguntur, quæ utcunque consociata erant firmius connectuntur, atque ex non solidis sunt solida, corporis externi pressio est. Experimur enim corpora ampliora, vel numerosiora spatiola intercipientia, partium

tum immediatam contiguitatem avertentia, vel imminuentia, (cujus causa minus existunt solida) ut & illa quæ disjuncta erant consociari, & soliditatem pressione acquirere.

Ferrum candens malleorum a fabris ferrariis excipiendo iectus, quibus pori angustantur, vel imminuuntur, majorem acquirit soliditatem. Limus & bitumen, materia cæspitum Nostratum, pressione induratur, majoremque cæspites inde acquirunt soliditatem. Quo potentius comprimitur lutum, eo quoque firmior lapidibus conciliatur partium cohærentia. Rariores flocci nivales pressione in solidos formantur globulos. Neque alia citari potest ratio cur fibræ carnosæ, aliæque animalium molliores, ac fluidæ partes temporis tractu solidiores evadant, earum partes tenacius cohærent, suique divisionem difficilis admittant, quam continuata diuturnior, quam excipiunt, pressio; qua fluidæ particulæ in viscosam materiam, illa in fibrarum, vel cartilaginum rudimenta, hæc in osseam quandoque molem solidissimam transmutantur. Eadem de causa experimur humido imprægnatas, resolutasque terrestres particulas in se mutuo impæctas in solidam concrescere molem, atque in durissima converti ligna. Ut & concava hemisphæria, subducto aere intrinseco, pressione externi firmiter coadunantur.

§. V I.

Quum autem dissociata in unum coalescere nequeant corpus, nisi aliquali corundem admissa unione, sive contiguitate, eamque nequeant acquirere, nisi supposita resistentia, cuius beneficio figura superficie particularum immutatur, & altera alteri adsimulatur, ut in solidam molem corpora convertantur, *prater pressionem desuper requiritur, ut alterum alterius motus continuatio ni resistat.* Ejusmodi resistentia triplici in casu accidere potest.

1. Cum corpuscula conjungenda motus determinatione oppositâ versus invicem feruntur, alterumque alterius continuationi motus potenter resistit; unde fluidæ, subtilioresque, poris ipsorum interceptæ particulæ exprimuntur, pori coarctantur, vel abolentur, figuræ corpusculorum utrimque accidit mutatio, superficii earundum adsimilatio, multisque in punctis resultat immediata contiguitas. Hujus exemplum subministrant, quos paulo

paulo ante citavimus, solidiores pilæ, ex nive manibus undique compreslæ, efformatae. Guttulæ pluviales ex vaporibus aqueis, æquabili pressione aeris versus se mutuo adactis, coalescentes. Cui affinis est exiliū globulorum mercurialium coagulatio, & in majores sphærulas conversio. Ut & particularum viscosarum & inflammabilium in cœlo concretio, atque in stellas discurrentes, ac cadentes mutatio. Etiam globulorum ex flexili cera, aut luto confectionum, in invicem obviam venientium, coalescentia.

§. V I I.

2. *Cum altero corpore quiescente, alterum movetur, quod in quiescens dum impingit resistentiam a priore in motus sui continuatione patitur; quam cum superare, ac motum versus priorem terminum continuare nequeat, necessum est ut reflectatur, vel lateraliter deflectat, aut de suo motu aliquid corpori resistenti communicet, & reliquum deperdat; cumque reflectio frequentissime a corpusculis subsequentibus, & deflectio ab ambientibus ut plurimum impediatur, experimur passim ultimum fortiri effectum; quo tum corporis resistentis, tum corporis mobilis in ipsum impingentis figuræ superficerum oritur mutatio, adsimilatio, eorundemque in communem solidam molem concretio. Cui figuræ superficerum immutationi, mutuæque convenientiae, non adversatur diversa configratio, summa soliditas, & figuræ immutabilitas, quæ forte obtinet in primogeniis corpusculis, ac subtilioribus particulis, ex quibus majora corpuscula generantur, constituuntur. Quum alia sit ratio corpusculorum simpliciorum, alia eorum quæ ex hisce componuntur; dum minimorum & insensibilium plurima necessario poris debeant esse destituta, indeque soliditatis summæ, quemadmodum de primi elementi dicitur materia; cum tamen tertii elementi ex primo conflati plurimos intercipiant poros; propterea quod primi elementi quando coalefcunt, ac in tertium convertuntur, ramenta invicem non sint immediate contigua. Suppositâ quoque immutabilitate respectu figuræ in singulis compositum constituentibus particulis, quod ex iis conflatur, figuræ immutationem non modo recipere potest, sed actu admittit, accedentibus*

tibus ipsi, vel ab eodem divulsis corpusculis, constanter propriam figuram retinentibus; quemadmodum corporis, ex triangularibus, pyramidalibus, cubicis, parallelepipedis, &c. corpusculis compositi, figura triangularis, pyramidalis, cubica, parallelepipedata non est; & secedentibus ac divulsis ab eo non nullis earundem particularum, priorem figuram non semper retinent. Coalitionis hujusmodi particularum mobilium cum quiescentibus, in quæ illidunt, quæque ipsarum motus continuacioni resistunt, innumera nobis subministrant exempla generationes, nutritiones, & accretiones corporum. Huic enim animalia suum ex vermiculo seminali exortum debent, huic nutritionem, huic accretionem. Qui corpus ipsorum, si non universum, parte saltem præcipua, tubulosa, oblongata, & fibrosa constitueret moles? & qua methodo ea confici posset? nisi admissa subsequentium motarum, in præcedentium in quiete constitutarum, indeque subsequentium motum sistentium, corpusculorum illatione, figurarum utrorumque immutatione, superficerum assimilatione, fluidarum quas interceperant, expressione, ac recessu, indeque fluente majori contiguitate, ac firmiori cohærentia. Et unde arborum in dies singulos, si vegetæ fuerint, intenditur soliditas, vetustate indurescunt? quæ serius iis apposita fuere corpuscula, molem minus solidam, putrefactioni, vermiumque erosioni magis obnoxiam constituunt? quam propter impulsus continuationem, qua fluida corpuscula in poris adhuc residua, aut corpusculis interjacentia exquisitius exprimuntur, pori minores evadunt, vel etiam abolentur: Cumque solidorum disruptio non fractura corpusculorum componentium, sed separatione eorum qua parte commissuris juncta fuerant procuretur, *vide Subtilissimum NEWTONUM Optica p. 344.* immitione commissurarum soliditatem intendi necessum est. Unde quoque, secundum lineam perpendiculararem, sive ductum situi fibrarum parallelum ligna facilius finduntur, ipsæque fibræ ab invicem divelluntur integræ, quam transversim & mediæ dividuntur? nisi quod generatæ sint perpendiculari in invicem impulsu, & adjectione. Metallorum in mineribus generationem, vel particularum eorum prius disjunctarum in unum corpus solidum conversionem eadem peragi methodo, venarum docet configuratio; ut & particularum metallicarum eas occupantium,

mutua in rectum cohærentia. Et modo ab his non diverso corpuscula in majores lapides conversa, invicem esse connexa, non scandalæ, sive scagliæ, Nostratibus *Leyen*, vitrum quod dicitur Muscoviticum, aliique arguant lapides, qui dum transversim difficulter dividuntur, levi finduntur negotio, & in lamellas mutantur; sed etiam solidiores, dum eorum divisio, non eadem facilitate quovis procedit modo, & felicius hac, quam alia instituitur ratione; imo qui censentur solidissimi ac durissimi; cum PLINIO, lib. 37. *Hist. Natur.* cap. 4. (qui a fabularum flosculis minime alienus fuit,) haud pauci credidere Veterum, Adamantem mallei respuere idem, ut ferrum, utrimque dissultet, incudesque etiam dissiliant, nec aliter rumpi quam sanguine hircino; ast periti in sua arte, Adamantum polituræ vacantes experientia didicere, partium in iis obtinere secundum lineas rectas appositionem, ductus, tubulos, strias in iis reperiri rectas, non quemvis promiscue situm habentes, aut transversim, vel decussatim mutuo adjacentes; sed parallele, indeque cuneo, convenienter huic ductuum constitutioni imposito Adamanti, medium posse findi (quod in actum deducere solent, ubi interin se nævo infecti sunt, quo ab eodem liberentur) qui cum perverse applicatur, cuneo utcunque fibras secante, in multa convertuntur fragmenta. Animalium pilos, ungues, cornua, &c. similem partium agnoscere coalitionis, & cohærentiae rationem nullus est qui dubitet. Innumera pro asserti confirmatione citari possent experimenta, sed dicta sufficient.

§. V I I I.

3. Cum corpusculorum uniuendorum, ac in motu constitutorum alterum celerius, tardius alterum defertur; quo evenit, ut celerius motum tandem alterum adsequatur, ab eodem, ubi in ipsum incidit, resistentiam in motus continuatione patiatur, superficies utriusque invicem adsimilentur, unde utriusque coalitio, & arcta cohærentia. Casus hic cum praecedenti magnam habet affinitatem, cum corpus tardius motum, utcunque quiescentis rationem habeat, & in quantum tarditas defectum, & absentiam plurium motus graduum involvit, cum quiescente cognationem habere videatur; hac tamen observata distinctione, quod

æteris paribus, firma minus cohæsio, & soliditas emergat ex occurso corporis velocius agitati, in segnius motum, quam in quiescens; propter minorem mobilis, quam quiescentis resistentiam, eamque subsequentem minus exactam superficerum conformitatem. Qua ratione vapores aqueos aeri innatantes, ut & plures nubes, accelerato cœli motu ventis, vel etiam fulmine disruptis, ac per cœlum veluti projectis nubibus, aqueas coalescere guttulas, indeque pluviam haud raro subsequi experimur; dum alii vapores motus accelerationem a vento recipiunt præ aliis; illi videlicet, qui hærent in aeris regione respiciente loca, unde venti exoritur acceleratio; & quod fragmenta disruptarum nubium celeriori motu abripiantur, quam nubes circumhærentes. Hinc quandoque etiam derivanda macularum in Sole, & Fixis generatio; ut & corpusculorum inæqualiter totius alicujus motui obtemperantium concretio.

§. IX.

Altera causa, quæ corpora non solida reddit talia, aut soliditatem habentibus majorem conciliat, est insinuatio aliorum corpusculorum intra ipsorum poros. Quatenus corpuscula terrestria simul cum aqueis, quibus intermixta sunt, poros ingredientia fluidas particulas, quæ soliditatem corporum everterant, ex poris exprimunt, dum exhalat aqueum ipsis intermixtum, figuris parietum pororum sese accommodant, & immediate iisdem redduntur contigua; unde pororum resultat eversio, imminutio, vel coarctatio, quæque hæc concomitatur major corporis soliditas. Hac ratione corpora mollia, flexilia, poris scatentia, in aquas vim lapidificam habentes projecta, lapidum instar rigida, solida, & veluti in lapides convertuntur; cuiusmodi aquæ meminit OVIDIUS lib. 15. Metam. vers. 412.

Plumen habent Cicones, quod potum saxeа reddit

Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

SENECA Quæst. Natur. lib. 3. Inde est, quod res abjecta in eundem lacum lapidea subinde extrahuntur. Quod in Italia quibusdam locis evenit, sive virgam, sive frondem demerseris, lapidem post paucos dies extrahis. Similia memorantur apud PLINIUM. Nat. Hist. lib. 2. cap. 103. Item KIRCHERUM. Mundi subterr. lib.

5. se^ct. 4. cap. 5. In Comitatu Hiberniae Antrim, lacus est Nea-chus, incolis dictus *Lough Neaugh*, in quem certi generis, prae-fertim aquifolii, conjecta ligna in coterem convertuntur.

§. X.

Tertia sunt spicula, clavi, ac ramosa particule, quæ pluribus corpusculis dum sese ingerunt, & insinuant, eadem connectunt; quo, dum spicula, &c. suam habent extensionem, adaugetur etiam compositum, quod per ea solidum redditur; quo sit ut particu-larum aquearum, in conglaciatione, ab oblongis, acicularibus, clavorum instar sese habentibus, sit concretio, aquæ in glaciem concrescentis exoritur major expansio, & ratione molis augmen-tum; unde vasorum disruptio, terræ elevatio, corporum con-glaciatorum post regelationem divisio; contraria ratione quam res sese habet in aliis corporibus, quæ cum ex fluidis fiunt soli-da, minoris fiunt molis. Ligna, aliaque, oblongis salinis cor-pusculis solidiora redundunt; & glutinis vicem in connectendis majoris molis corporibus sustinere solent, corpuscula ramosa, ramulos suos utrimque, poris corporum quibus interjacent, in-gerendo.

§. XI.

Quarta est corpusculorum politura, qua eorum existentes anguli, vel ramuli atteruntur, ipsa laevigantur, glabra, ac polita reddun-tur; cuius causa in invicem illidentia immediate contigua fiunt, atque multis in punctis unita, pro ratione superficiem conve-nientiae magis minusve firmiter coalescunt; quemadmodum vi-demus spicula lignea, superficies habentia laevigatas aquæ com-missa leni agitata motu, lateraliter invicem uniri, & adhæ-re-scere; ut & oblongas salis particulas, dum in auras avolat aqua intermixta, in grana quadrata coalescere. Et dubitari possit an non simili particularum salinarum, ac terrestrium polituræ, eam-que subsequenti immediatae contigitati, calculorum in viventi-bus imputanda sit generatio; cum ipsæ per exilissimos ductus, & varios anfractus delatæ, atque in invicem, aliaque corpuscu-la illidentes, si quos habuerint eminentes ramulos, iis priven-tur,

tur, glabræ admodum, ac politæ reddantur, quo heterogeneum si offendent (dum simile quid in nieditullio plurium calculorum reperitur) huic immediata primum contiguitate, postea invicem uniantur successive. Non enim ab experientia alienum est, lignea, aliave corpuscula in vesicam immisla, salino obduci cortice, cujus particulae, nullum quo connectantur, glutinum habent, præter contiguitatem. Quod autem politura corporibus arctam procuret connectionem, experimento norunt quotquot microscopiorum, perspicillorum, &c. constructioni vacant. Simile in marmoribus, aliisque mox videbimus.

§. X I L

Quinta consolidationis causa est evaporatio, & recessus particularum subtilissimarum, & fluidarum. Non quasi hic solus ad arcte connectenda corpuscula sufficeret; experimur enim arenulas humido infectas utcunque cohærere, motibusque aliorum corporum conjunctim resistere, dum post evaporationem humidi, nullus inter eas nexus intercedit; sed ubi accesserit parietum, fluida corpuscula intercipientium, respectu figuræ immutatio, eorum approximatio, multorumque contactus mutuus; quorum causa pororum eorundem oritur angustatio, abolitio; qualis analogiam quandam habet cum ea pressionis consolidatione de qua *supra* §. 5. Hoc modo lutum æstui solari expositum, evaporatione particularum aquearum indurescit; lapides ex argilla efformati, in fornacibus igne excocti soliditatem acquirunt; & qui in mineribus dum hospitantur molles atque friabiles erant, inde in terræ superficiem evecti, humido ex iis evaporante, indurescant admodum; viscosa itidem & glutinosa corpora, calori exposita, quando destituuntur quod interceperant fluido, soliditatem acquirunt.

§. X I I I.

Præter hasce quæ adduci forte possent concretionis corpusculorum causæ, cum ad enumeratas, reducere facile sit, iis non immorabor, *transitum facturus ad considerationem Hemisphæriorum concavorum, & Cylindrorum prorsus solidorum;* quorum ratio unio-

nis analoga utcunque est concretioni corpusculorum minorum, de qua haec tenus.

Circa Hemisphaeriorum concavorum coherentiam sequentia, quæ coram spectare, atque excerpere mihi licuit in Collegiis Experimentalibus Excellentissimi Viri W. SENGUERDII. Praeceptoris mei multis nominibus honorandi, annis. 1710. 1711. & 1712. veniunt notanda.

1. Ut consolidatio corpusculorum exilium pressione alterius versus alterum, eamque concomitante, figurarum ad similatione peragit, quod, cum hemisphæria sint solida, eorumque margines mutationem non recipient, adeoque invicem immediate uniri nequeant, ut externi corporis per eorum commissuras avertatur ingressus, & margines invicem mediate ad similentur, pinguedine obducti invicem adaptentur, atque antliae imponantur: cuius opere dum internus subducitur aëris, ejusque imminnitur resistentia, externi pressione hemisphæria, eorumque margines versus invicem adigantur, superflua iis interjecta pinguedo exprimatur, firmiterque adeo consolidentur, ut non nisi pondere ingenti appenso divortium recipiant. Quorum *coherentia* *firmitudo* *equalis* est *sive ante evacuationem aëre* [qui exhaustur] *omnino repleta fuerint*; *sive eadem occupaverit aqua*, *vel solidum corpus*, hemisphaeriorum cavitati, quam exquisite fieri poterit, respondens, quemadmodum cuprea concava sphæroidea corpora A B C D E F quorum diametri AB & CD sunt 4 digitorum & 4 linearum semidiametri vero E F & G H 1 digitor. & 10 linear. post subductum aërem clauso epistomio I aequale pondus ad directam separationem mutuam requirunt, sive nihil præter aërem, qui exhaustur, interceperint, sive ligneo corpore sphæroideo (quale exhibetur literis K L ipsorum concavitatí quam exquisite fieri poterit respondente, maxima parte repleta fuerint, paucotantum aëre inter ligneum corpus & hemisphæroidea residuo, quod aëris itidem evacuatur. *Observandum generaliter* venit, *firmitudinem coherentiae*, cum hemisphaeriorum, tum & solidorum rectius affinari ex ponderibus appensis, quam ex equorum, aut hominum [ut a nonnullis fieri solet] eadem distracthentium robore, cum ponderum appensorum pressio æquabilis sit, ejusque facile instituatur calculus, non item roboris, aut conatus qui ab animalibus ad eorum separationem impeditur.

§. X IV.

2. Quod pondus ad hemisphaeriorum separationem requisitum non variet pro hemisphaeriorum capacitate, aut quantitate materiae, quam intercipere valent, sed aequale requiratur ad illa dissocianda, sive sphærica fuerint figurae, quales sunt M N; sive elliptica, sicuti O P Q, & R S T, quorum diametri O P, & R S exæquant 4 digitos & 4 lineas; semidiametri T R, & O Q 3 digitos; vel sphæroidea uti A B C D E F. Nec non, sive duo ellipticæ figurae, O P Q & R S T invicem adaptentur immediate, sive ipsis interponatur orbis cupreus V U X, marginibus utriusque respondens, iisque eadem adaptetur methodo, qua concava corpora invicem committuntur; qui orbis foraminulum habet in X, per quod, dum aër ex altero hemisphaerio exantlatur, effluere valeatis, qui altero continetur; sive etiam clauso foramine X ex singulis hemisphaeriis seorsim aër evacuetur. Ut &, si orbis V U X alterutri hemisphaeriorum adaptetur: adeoque sive decuplo plus vel minus interceperint aëris qui exhaustur; modo ea parte qua invicem agglutinantur, & separanda veniunt, diametro fuerint aequalia; posita autem diametrorum inæqualitate, huic utcunque proportionaliter plus, minusve ponderis adhibendum est, quo ab invicem divellantur. Hemisphaeria divortium patiuntur quorum diameter est, 4 digitor. & 4 linear. appensis libris.

275-

8 digitor. . 6 linear. . . . 850.

Variat tamen utcunque eorundem hemisphaeriorum cohærentiae firmitudo pro ratione temporis, quo experimentum instituitur; ecclio calidiore facilis dirimuntur, quam frigido: ut & pro tenacitate pinguedinis, marginibus utriusque interjecti; & majori minorive exactitudine, qua pinguedo adimplerat spatum utrisque interjectum.

§. X V.

3. Quod aequalia requirantur pondera ad eorum separationem perficien-

ficiendam , sive experimentum instituatur secundum horizontalēm lineam , ut M N a b , sive perpendicularēm , ut in A B C D E F . Quia fluidorum (qualia sunt ea in quibus hemisphaeriorum tentatur divulsio) pressio , & resistentia horizontalis , & perpendicularis eadem est . Ut docemur experimēto , quod tradit M. MARIOTTE. in libello *Du Mouvement des Eaux.* part. 2. pag. 93. & 94. Lagenulæ vitreæ c g f d , cui foraminula sunt duo f & g orificio d subere claulo , per cujus medium transit fistula e h in utraque sui extremitate aperta , & depresso foramine g clausis cera foraminulis f & g ad summum lagena , ejusque fistula repleatur aqua ; eaque perpendiculariter erecta , si referetur apertura f subfideat aqua in fistula , efluendo ex foramine , usque dum pervenerit ad altitudinem æqualem f clauso dehinc f & aperto g subsidebit in fistula ad g. Occluso g & referato f adscendet in fistula ad f. Horizontali pressione aëris f & g respondentis , viribus æquante pressionem perpendiculararem illius , qui respondet aperturæ . e

§. X V I.

4. *Variat firmitudo coherentia pro latitudine marginum quibus invicem applicantur.* Hemisphaeria diametro æqualia , quorum margines latitudinis sunt unius linea , dum appensis 275. libris divortium recipiunt , idem non admittunt si margines fuerint 7. lineas lati , uti M N , nisi appensis 357. libris. Evidenter hoc liquet , si quando post evacuata hemisphaeria , quorum marginum latitudo variat , aër sensim in illa readmittatur ; hac ratione dum hemisphaeria , quorum margo latus est 7. linea post evacuatam , dehinc , aperto epistomio , sensim readmissum aërem non nisi post appensas 120. libras dissociantur , cum æqualis diametri hemisphaeria , quorum margo 1. linea utcunque major est , nequidem quinque libras absque divortio substinere possunt.

§. X V I I.

5. Ut divortium patiantur , plus , minusve ponderis appendendum , pro ratione temporis , & moræ , intra quod idem molimur . Quæ per unicum minutum , absque mutuo fecesli , 250 libras sufficeret

re valent; appenso pondere 200. librarum, interjecto aliquot minutorum intervallo, dissociantur. Imo 150 librae sufficiunt ad eadem separanda spatio octo, ad summum decem horarum.

§. X V I I I.

6. Diversa utcunque etiam est pro ratione cœli; nec non glutinositas ac soliditatis adipis, marginibus interjecti, cujusque subſidio externi aëris introitus avertitur. Cœlo enim calidiore prædominantes particulae subtiliores, vehementiori in motu constitutæ, aditum intra hemisphæria externæ materiæ crassiori, eorum separationi cæteroquin resistenti, præparant; viscose materiæ firmitudinem, & consolidandi vim imminuunt; ipsa etiam hæc materia connectionem corporibus cohærentibus conciliat majorē, quam immediate a vera cohæsionis causa accipere posse. Unde etiam pro majori, minorive sua conglutinandi vi magis, minusve firmitudinem intendit.

§. X I X.

7. Mediorum, quibus evacuata hemisphæria circumvallantur, raritas & densitas, magni etiam hoc in negotio momenti, plurimumque cohærentiæ firmitudinem adauget atque imminuit. Sphæroidea enim A B C D E F, qualia appenso 250. librarum pondere ilico dissociari supra §. 14. vidimus, quando aëre cinguntur libero, aquæ commissa absque mutuo secessu multis vicibus, majora sustinere valent pondera, uti experimentum edocet subsequens.

Eadem hemisphæria si fuerint commissa vasculo cylindri formi cupreo $h \approx k l$ (cujusmodi inservit demonstrationi pressionis fluidorum, æstimandæ non usque adeo ex ipsorum mole, aut quantitate, quam ex perpendiculari altitudine, aut longitudine tubulorum quibus continentur) cuius vasis altitudo $h \approx$ vel $k l$ unius est pedis, diameter vero $l \approx b$ vel $i \approx k$ septem digitorum; eorumque alterum h firmiter connexum fundo $i \approx k$, beneficio annuli m , ac stili $n o$, per annulum transmissi, ac cochlea n firmati; ne appensis ponderibus a fundo separetur: hemisphæriorum vero alteri adaptata catena cuprea r , quæ medium

dium transit operculum, ut & tubulum operculo adaptatum p q, sex pedes longum, cuius diameter vix sex linearum est, & ne quidem sex aquæ uncias continere valet; dehinc aqua repletis ad summum vase, ejusque tubo; alteri catenæ extremo s, appensis mille & quingentis libris, sui non admisere divertium, catena rupturam paciente. Alio tempore, eodem instituto tentamine, octingentis libris dissociata fuere, quod vitio formæ hemisphæriorum, procurato ingenti pondere, quod prius sustinuerant, cuius causa exquisite adeo invicem non respondebant, ut ante, imputandum.

§. X X.

8. Præprimis vero intenditur ac immittuntur difficultas separatio-
nis, pro varia determinatione, juxta quam dissociatio corundem ten-
tatur. Hemisphæria enim M N quorum margo est 7. linearum,
ad quorum separationem directam, uti exhibetur in M N a b,
357. requiruntur libra, transversim sive oblique, ut in M N t
u v w, vix octo vel decem librarum pondus, uno alterove mo-
mento, absque divertio sufferre valent.

§. X X I.

Solida porro quod spectat corpora, concavitate destituta, nihil in-
tercipientia aëris, adeoque tota superficie, qua invicem committuntur,
contigua, quorum in numero sunt cylindri cuprei, mar-
morei, &c. eorum conglutinatio & separatio sequenti instituitur me-
thodo.

Igni, usque dum incaluerint, admoti, illiduntur adipe can-
delæ, sive bovino, qui calore resolvitur, transversim invicem
adaptantur; ne si directe invicem committantur, inter cylin-
drorum superficies aër reliquus maneat; invicem hac ratione im-
posti frigido exponuntur loco, ut resoluta calore pinguedo con-
crescat; quibus peractis, appensis ponderibus eorum molienda
separatio, quantumque ad hanc efficiendam requiratur ponderis
observandum. Circum hoc negotium sequentia, ex Collegiis Clarissi-
mis ac Honorandi Promotoris SENGUERDII, annotavi.

I. Quo

1. Quo directe perficiatur cylindrorum divulsio, ut exhibetur.	1. 2. 3. 4. appendendæ fuere	digitor.	lin.	libra.
Marmoreis albis diametri	2.	7.	1150.	
albis.	2.	1.	900.	
nigris.	2.	2.	900.	
albis.		10.	200.	
æneis.	1.	11.	800.	
eburneis.	2.	7.	200.	

Perinde autem est sive directa hæc tentetur dissociatio perpendiculariter, sive horizontaliter, quemadmodum observatum supra fuit circa hemisphæria concava.

2. Quod iidem cylindri oblique, vel transversim, ex trabe altero 2 6 pendente, dum alteri 1 5 appenduntur pondera, multo leviori dissocientur negotio. Marmorei enim albican tes 1 2 quibus ut directe separantur appendendæ fuere 1150. libra, transversim, ut in 1 2 5 6 & 7, pondere 200. libra rum passi sunt divortium.

3. Quod itidem fitmitudo cohærentiæ ipsorum diversa sit pro statu, sive qualitatibus cœli, maxime caloris, aut frigoris, uti supra §. 18, notatum circa cohærentiam hemisphæriorum.

4. Variat pro glutinositate majori vel minori interjectæ pinguedinis.

5. Quod etiam diversa sit prout magis minusve exquisite aër fuerit exclusus, aut plus minusve ejus interceptum.

§. XXXI.

Quibus prælibatis inquirendum restat, in quo vera Soliditatis consistat essentia, sive qui fiat quod solidorum partes firmiter sociatae sint, & non nisi difficulter mutuum admittant divortium.

Sunt qui, ut arctæ cohæsionis partium solidorum rationem redderent, ramosas excogitarunt particulas, vel atomos hamatas, quæ tanquam gluten existentes hamulos, clavorum instar, corporum connectendorum partibus utrimque ingerendo, eorum conjunctionem procurarent, ac separationem redderent difficultatem;

lem; hoc ipso quod conjunctorum nequeat fieri separatio, absque ramulorum fractura; pro cuius difficultate etiam separatio-
nis, consequenter & soliditatis variaret ratio. Hujus sententiae
mentionem injicit CICERO, Academ. Quæst. lib. 4. §. 38.
*Nec, ut ille, qui asperis, & levibus, & hamatis, uncinatisque
corporibus concreta hac esse dicat, interjecto inani.* Cui concors est
LUCRETIUS. lib. 2. de rerum Natur.

Denique que nobis durata, ac spissa videntur,

Hec magis hamatis inter se esse necesse est:

Et quasi per ramos alte compacta teneri.

Verum, quamvis multorum corporum connectio ramosis parti-
culis imputanda veniat, non tamen *ramositas* prima consolidationis
haberi potest causa; dum, ut cum Celeberr. NEWTONO lo-
quar, Optica pag. 335. hoc est utique id ipsum pro responsu afferre,
quod erat quæsumus. Cum hamata corpuscula etiam solida sint,
quorum soliditatis causa forent minora corpuscula hamata, ho-
rumque rursus alia hamata, qua ratione eorum progressus in in-
finitum admittendus foret. Desuper, cohærentium solo glutini-
nis interventu, dissociatio eandem involvit difficultatem quomo-
docunque illa tentetur: corporum autem solidorum, ut & con-
cavorum hemisphæriorum, & cylindrorum marmoreorum divi-
sio, pro varia qua instituitur ratione, plus minusve remoræ of-
fendit. Vide supra §. 20. & 21. Dubitari quoque posset cum
Acutissimo NEWTONO. lib. cit. pag. 344. an corporum compo-
sitorum disruptio fiat, particularum solidarum fractura, an separatio-
ne earum, qua parte commissuris inter se junctæ erant. Hanc in rem
Vide Clarissimi SENGUERDII. Phil. Nat. part. I. cap. 17. §. 5.

§. XXXII.

Alii, ut cum eodem NEWTONO loquar Optica pag. 335.
finixerunt corporum particulas inter se conglutinatas esse quiete; hoc
est, plane Nihilo. Verum quidem est corporum solidorum par-
tes, ut & plura corpora solida cohærentia, hoc ipso quod co-
hærent, juxta se mutuo quiescere, sed ex illa quietis ac cohæ-
rentiæ concomitantia inferre haud licet quietem causam ejus esse
ha-

habendam; sed rectius hinc colligere liceret, quietem, ut effe-
ctum, ex cohæsione, veluti cauſa, resultare. Cumque firmitu-
do cohæsionis sit positivi quid a quieto, ut privatione motus,
ac negativo produci nequit. Unica porro realium in natura effe-
ctuum, quorum in numero arcta est cohæsio, causa efficiens
motus est, non autem quies. Experimur quoque multa juxta in-
vicem quiescere, quorum nexus, aut cohæsio nulla est. Solida
etiam, quorum partes æqualiter juxta invicem quiescunt (dum
quies gradus non admitit) gradu soliditatis, ac firmitudine co-
hæsionis plurimum variant, ut illa quæ *supra* §. 16. & 21. de
Hemisphæris & solidis Cylindris tradita sunt, arguunt. Acce-
dit quod quies, si resisteret, divisioni, & separationi, quo cun-
que tentetur modo, æqualiter resisteret; cum dissociatio corpo-
rum, pro varia ratione determinationis facilior multo ac diffi-
cilior sit; uti docent experimenta tradita *supra* §. 20. & 21. Hanc
in rem plura *Vide in Celeberrimi Promotoris Philosophia Naturali*
part. 1. cap. 17. §. 4.

§. X X I V.

Sunt qui externam commenti sunt pressionem sive Aëris, sive Æ-
theris, sive utriusque conjunctim, sive etiam aliorum solidorum,
& fluidorum, qua corporibus, quibus incumbunt, soliditas con-
ciliaretur, eorumque divisio averteretur, aut difficilis redderetur,
quaque soliditatis constitueret essentiam; hoc ipso quod necessum sit
præponderante pondere superare pondus pressionis corporum so-
lidis incumbentium, eademque prementium; & desuper solidis
vel solidorum partibus, communicare motus quantitatem ipsorum
magnitudini proportionatam, priusquam eadem separari,
vel singula seorsim moveri queant. Quibus accedit quod expel-
riamur multa corpora pressione ex non solidis solida fieri, quæ-
que non erant connexa, coalescere, & arctam cohæsionem ac-
quirere, ut ex iis quæ *supra* §. 5. citata sunt docemur. Nec
non, quod pressione adiuncta firmiorem corporum unionem redi-
di, & ad eorum separationem majora adhibenda esse molimina,
experimento hemisphæriorum aquæ impositorum, *supra* §. 19.
demonstratum est.

Fatendum quidem multis corporibus pressione soliditatem pro-

curari, eamque habere rationem causæ soliditatem efficientis, ex quo tamen minime sequitur, in pressione soliditatis consistere essentiam, ejus causâ difficultem esse solidorum separationem, aut in ipsa fundari resistentiam, quæ occurrit in eorum divulgatione. Cum alia ut plurimum sit causa effectiva & producens, alia formalis, essentialis, ac constitutiva; Artifex artefacti causa efficiens est, non item causa essentialis, vel constitutiva; frequenti malleorum iactu ferrum reddi solidius; quæ non cohærebant oppositis motibus coalescere; vaporum exhalatione &c. corpora soliditatem acquirere *supra* §. 5. & seqq. vidimus; non tamen percussionses, aut oppositi motus, aut vaporum exhalatio, &c. soliditatis corundem corporum essentia sunt; cum iis deficientibus & secessis essentiam solidi corpora retinere, osa, ligna, aliaque solidissima corpora suo doceant exemplo. Posita quoque pressione, ut solidi essentia, omne solidum haberet externum quo prematur, atque, ut NEWTONI utar verbis, *vitioso in infinitum processui via aperitur*. Pressionem quoque aëris, ad quam multi confugiunt, cohærentiæ, ac soliditatis causam non esse, vel ex hoc clarissime elucescit, quod marmora polita in vacuo cohærent; quod ex metallis suspensa in vacuo corpora non decidant, nec ipsa frangantur, nec solida esse desinant; quod cohærentia partium solidorum in aëre, multa ratione firmior sit incumbentis aëris pressione; ex unco suspensa pondera centenis vicibus vim pressionis aëreæ, unco respondentis, excedunt. Idem hoc docent pondera ad cylindrorum marmoreorum (ut *supra* §. 21. vidimus) separationem requisita, ubi comparantur cum aëris iisdem imminentis pressione. Supposito enim mercurium in barometris hærere viginti octo *digitos* cum semisse elevatum, pondus aëris prementis cylindros, ad quorum separationem adhibendæ fuere,

{ 1150.
900.
800.
200.

libra,

{ 85.
57.
45.
9.

librarum.

§. X X V.

Neglectis reliquis, quas forte nonnulli de natura soliditatis fovent, opinionibus, ut tandem, quam ipse hac de re foveam sententiam, paucis promam, *Judico*, ex hactenus demonstratis concludendum, *Soliditatis*, firmæque corporum cohærentiæ, essentiam *confistere in superficerum immediata contiguitate*, earumque multis in punctis contactu. Hac, enim nos ducunt omnes consolidationis modi, *supra* §. 5. & sequentibus prolixius expositi. Quotquot enim fuerint evincunt omnes, admissa ejusmodi contiguitate, soliditatis ac cohærentiæ rationem obtinere; eadem negata cohærentiam aut soliditatem desicere. Soliditatem majorem vel minorem, & cohærentiam magis minusve firmam corporibus conciliari, prout major minorve iis procuratur contiguitas, & plures paucioresve meatus, contiguitatem avertentes, intercesserint. *Quid pressione*, de qua §. 5. 6. 7. 8. peragitur? quis alius hujus est effectus? quotiescumque ex non solidis sunt solida; quoties que singula seorsim absque ulla difficultate diversimode moveri poterant, coalescunt, & non nisi magno conamine exhibito motus diversimode determinatos recipiunt? nisi superficerum complanatio, mutua adaptatio, assimilatio, & conciliatio contactus immediati pluribusve in punctis. *Quid insinuatio corpusculorum* intra poros aliorum corporum, non, vel minus solidorum, de qua *atrum* §. 9. aliud præstat? quam quod iis intervenientibus immediata superficerum exoriatur contiguitas, dum superficies corpusculorum meatus occupantium, parietibus meatum immediatè sunt contiguæ, & pauciora inter hæc & illa relinquunt spatiola non contigua. Si *spicula* & clavos respexerimus, de quibus *supra* §. 10. corpora connectentes, & soliditatem inducentes, nullus horum sperari poterit effectus, nulla eorum ope connecti possunt corpora, nisi contiguitate tum clavorum eum corpusculorum connectendorum. *Politura quoque corporum*, & levigatione, que adduximus itidem *supra* §. 11. ut modos & causas consolidationis, dum extantes ramuli, protuberantes particulæ, eminentes colliculi, superficerum disconvenientia, que immediatam contiguitatem avertebant, perimuntur, & complanantur, dissimilia invicem assimilantur, corpusculisque vix contiguis contiguitas, pluribusque in pun-

&cis

28 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Etis conciliatur contactus. *Evaporatione* itidem & *secretione particularum fluidarum*, (Vide supra §. 12.) quæ approximationem solidorum suo interventu sistebant, aut contiguitatem multis in punctis interrumpebant, non contigua fiunt ejusmodi, quorumque rarer erat contactus, minorque soliditas, cum contactus fiat frequentior, intenditur itidem soliditas.

§. XXVI.

Ea quoque si consulamus quæ circa Hemisphæriorum nexum observata sunt §. 13. & seqq. ut & de cohaerentia Cylindrorum solidorum tradita §. 21. Evincere hæc quoque videntur, a contiguitate consolidationis rationem esse derivandam. Hemisphæriorum marginum contiguitate negata, cohaerentia eorum nulla est. Etiam pro corundem pluribus paucioribus in punctis contactu, magis minusve firmiter eadem cohaerere, eo docemur, quod pro marginum latitudine plus minusve ponderis ad eorum separationem requiratur, ut vidimus supra §. 16. Et quid causæ subest? quod cæteris paribus, cylindrī solidis, ut ab invicem divellantur, multo plus appendendum sit ponderis, quam hæmisphæriis concavis, ut collatione eorum facta, quæ adduximus supra §. 15. & §. 21. liquet? nisi quod dum hemisphæriorum contactus tantum est ratione marginum, non autem partium intermediarum; solidi cylindri invicem ratione totius superficie, partiumque etiam intermediarum sint contigui.

§. XXVII.

Qua vero ratione, propter superficerum contiguitatem, particulorum appositionem, multisque in punctis contactum, solidum constituantur, cujus partes arcte cohaerent, dividenti causæ coniunctim potenter resistunt, ac separationi difficultates maximas parunt, non caret difficultate; cum partibus solidorum nulla insit vis vel efficacia, qua sece actuositatē causæ dividentis opponant; ipsarumque vis resistendi propria videatur moli esse proportionata, adeoque admodum debilis, & facili negotio superanda; idque propter singularum parvitatem molis; & quod communis omnibus particulis resistendi vis toti inesse non videatur, dum

al.

altera alteri resistentiae respectu non ferat suppetias. Verum, quo hæc supereretur difficultas, *notandum*, quotiescumque corpora veniunt movenda, vel ab invicem distrahenda *duplicem resistentiam* esse superandam; alteram videlicet mobili *Internam*, *Externam* alteram. Quæ ab ipsa corporis moyendi substantia, ac mole exoritur, *Interna* dicitur; hæc quantitati molis est appropria-
ta, & validior aut minus potens pro magnitudine molis; unde ad superandam corporum majoris molis resistentiam, eaque ex statu quietis in statum motus transferenda plus requiritur virium, majorque motus quantitas iis communicanda est, quam si mole fuerint minora. *Externa* est resistentia, qua corpora mobile cingentia, vel ipse proxime adjacentia hujus translationem impediunt, resistentiam ejus intendunt, & difficultatem majorem causæ moventi in effectus productione pariunt. Cujus causa experimur, quod corpora difficilius, vel tardius moveantur pro raritate, densitate, majori, minorive subtilitate, atque fluiditate corporum mobili circumiacentium, & simul cum ipso è loco movendorum ut ejusdem procedat translatio; utque corpus moveatur non tantam sufficere motus quantitatem, quanta magnitudini ejus respondeat, sed tam requireti desuper quæ quantitatibus ambientium, sit appropria-
tionata. Hinc corpora per aërem projecta, & in eodem gyratione diutius motum sunt continua-
tura, quam si per densius deferantur medium V. G. aquam. Ita quoque horologiorum rotulæ in evacuato recipiente suos circumvolutions citius absolvunt, quam in aëre. Ut etiam globuli ex lana efformati à summo ad imum Cylindrorum vitreorum duplo ferme celerius descendunt, si Cylindri fuerint vacui aëre, quam pleni.

§. XXXIII.

Quum autem in Universo, in quo corporum obtinet motus, & separationes fiunt, nullum sit inane, sed totum corporibus repletum; corporumque essentialis sit attributum impenetrabilitas, fieri nequit ut corpus ab alio impulsu moveatur, id est, suum derelinquo spatiū alterius occupet, nisi hoc ipsum simul & suum deferat, & occupandum concedat priori corpori; illud itidem suum derelinquat, &c. quæ spatiorum desertio eo

D

usque

usque continuanda, donec tandem ultimum succedat in spatium a corpore primum moto derelictum, atque ita integer corporum veluti circulus moveatur. Cum porro ea, quæ suo motu coniunctim circulum perficiunt, mole sua corpori primum movendo resistant, donec hæc ipsorum resistentia, quæ mobili est extrinseca, fuerit motu ejusdem mobilis superata, constat in omni motu requiri circulum; utque corpus moveatur, tum mobilis, tum corporum, quæ circulum conficiunt, resistentiam esse superandam; & in estimatione resistentiae, quam in motus continuatione corpora patiuntur non usque adeo intrinseca, quam externea, hoc est, ambientium corporum, habendam esse rationem; eamque præcipuam in divisione, ac translatione corporum difficultatem inferre, & prout facilis aut difficilis circularis ille motus fieri potest, hinc quoque intendi, aut remitti separationis, motusque difficultatem; usque adeo ut vel difficillima, vel plane impossibilis corporum hinc fiat divisio, puta si circularis nequeat fieri corporum delatio; hujus rei ergo dicitur, à Nobisissimo R. CARTESIO *Nullum, corpus moveri posse nisi per circulum, 2. Princip. §. 33. Omnes motus qui in mundo sunt, utcunque circulares esse.* Ab Eodem de Lumine cap. 3. Aniliarum aquam adscendere, quia cum nullum sit vacuum in natura, nullus in ea motus fieri potest, quin integer circulus corporum simul moveatur. Eodem part. 2. Epist. 32.

§. XXXI X.

Circularis illius propulsionis facilitas & difficultas præprimis derivanda a facilitate ac difficultate successionis, quam offendunt corpora occupatura totum spatium à mobili derelinquendum, in ingressu ejusdem spatii: quamdiu enim alterum succedere nequit, nec alterum moveri potest; quæque alteri ratione successionis paritur difficultas, eandem patitur mobile respectu separationis, & sui motus. Hac separationis difficultas quamvis multum variet pro contigitate corpusculorum pluribus paucioribus in punctis ut ostendimus supra §. 25. & seqq. hinc tamen unice non derivanda; cum eadem admissa contigitate, varia possit esse divisionis difficultas; consulantur quæ diximus supra §. 7.

XXX.

§. XXX.

Sed præter hunc contactum, ratio habenda est subsequentium,

1. *Magnitudinis superficierum separandarum. Dum enim eodem momento fieri debet successio, quo superficierum fit separatio, difficilior succendentia corpuscula, à circumferentia versus centrum superficierum separandarum momento deferuntur, quoties major, quam si minor eorum fuerit distantia; hinc Hemisphæria, ut & Cylindri marmorei solidi, qui majoris sunt diametri, proportionaliter excessui magnitudinis superficierum ab invicem separandarum plus exigunt ponderis & virium ut dissidentur directe, propter difficiliorem externæ materiæ successionem, quam quorum minor est diameter. Huc faciunt dicta*

§. 14. & 21.

2. *Modi, & determinationis, qua separatio instituitur; directe enim si divisio instituatur, ut in 1 2 3 4, difficulter successioni locus est; si vero transversim ut 1 2 5 6 7, dum descendit 5, nihil est quod impedit successionem circa 6. Revocandi*

huc §. 20. & 21.

3. *Materia circumiacentis successuræ, quæ quo subtilior, ac mobilior exstiterit, eo facilius ubi moventur, mobili cedunt, eique locum faciunt uti ostensum §. 27. ita quoque successio perficitur, separatio & divisio corporum in actum deducitur; cum subtiliores poros corporum particulae exiliores facilis subire, &c ad succedendum concurrere possint, quam corpuscula majora; cuius causa & solidissima corpora, ligna, lapides, osa, &c. à subtiliore æthere, calore, &c. in fluidam facile convertuntur molem: ut etiam Cylindrorum facilior in aëre calidiore est divisio, quam prædominium obtinente frigore. Videndi hic*

§. 18. 19. 21.

4. *Temporis, quod ad divellenda impenditur corpora; cum longiori interpolata mora corpuscula successura aditum sibi facilis intra corpora dividenda, vel distrahenda parare queant, atque in loca, ab iis relinquenda quoties dividuntur, succedere, quam momento. Conferatur §. 17.*

5. *Intrinsicæ constitutionis materie; hac ratione solidorum Cylindrorum firmior nexus est, quam Hemisphæriorum concavorum; ut liquet collatis inter se §. 14. 16. & 21. cum parum il-*

32 DISSERTATIO PHILOSOPHICA INAUG.

Iud aëris quod in concavis reliquum est; vi elasticitatis ulterius expandi, & materiae subtilissimæ majorem ramulis intercipere queat molem, indeque successionem facilitare. Hinc quoque cohærentiæ, soliditatis facilitatis aut difficultatis divisionis, & di-vulsionis corporum ratio eadem non est, quoties corpora numero, vel magnitudine pororum diversa sunt, ut liquet ex collatione ponderum, quæ sustinere valent Cylindri marmorei & eburnei.

Ex quibus hactenus traditis conficitur Soliditatis & Arcte cohesionis corporum in hoc Universo existentium consistere essentiam in intrinseca eorum mole, & ambientium resistentia, successionis difficultatem inducente.

Sit summo rerum Moderatori Laus &
Gloria in sempiternum.



